

*Oton Župančič:*

DESIDERIUM

Saevit immitis boreas in valle,  
Admodum longe mea abest puella;  
Ut volem, pennas mihi des, procella,  
Obvius illi!

Sol in excelsis nitidus vagatur,  
Admodum longe mea abest puella;  
Aureos da, sol, mi oculos, ut illam  
Trans iuga spectem!

*Ljubljana.*

*Vertit: S. Kopriva.*

*Carmen popularē croaticum:*

PISCIS ET PUELLA

Ad litus maris en sedet puella,  
Haec secum loquitur tenella virgo:  
Care caelipotens deus benigne!  
Latiusne aliquid mari est profundo?  
Longiusne aliquid agro est in orbe?  
Estne quidpiam equo magis volucre?  
Num quid dulce magis favo est odoro?  
Estne fratre aliquid magis suave?

Piscis taliter ex aqua profatur:  
Hercle stulta puella mente capta!  
Coelum latius est mari recurvum,  
Pontus longior est agro profundus,  
Sunt equis oculi magis volucres,  
Sunt et sacchara melle dulciora,  
Fratre suavior est amans amatus.

*Ljubljana.*

*Vertit: S. Kopriva.*